

VII. Physicæ.

61. Etiam si daretur progressus in infinitum, materia prima tamen necessariò esset admittenda.
62. Affectiones corporis naturalis perquam concinnè reduci possunt ad Situum & Motuum rationes.
63. Tempus non est affectio propria corporis naturalis.
64. Quantitas corporis naturalis non consistit in extensione seu magnitudine, sed in determinatâ ratione, quæ ad quæstionem, quantum sit corporis attributum seu prædicatum quodvis aptè responderi potest.
65. Cælum esse corpus naturale dubitat Gassendus cum Veteribus multis.
66. Elementorum sublunarium ordo naturalis est, ut primò supponatur Terra cum Aqua, ex quibus resultent Ignis atque Aër.
67. Galaxia inter meteora amplius impunè referri nequit.
68. Iridis naturam & generationem omnium accuratissimè exposuit atque demonstravit modestissimus æquè ac sagacissimus ille seculi nostri Philosophus, Renatus des Cartes.
69. Qui tum in genere substantiam corporis non in extensione consistere, tum in specie motum maris non à Lunâ produci demonstramus, Cartesii sectam nos non sequi manifestum est.
70. Qui cum cordatioribus & ingenuis Philosophis phænomena naturæ totius ex ratione particularum seu molecularum declarant, nec Aristotelem, nec Cartesium, sed naturam agnoscunt ducem.

VIII. Phoronomiæ.

71. Phoronomiæ, seu scientiæ de motu locali, constituendæ materiam præbuit Astronomia.
72. Motus localis familiam quidem inter motus reliquos ducere videtur, sed exinde non sequitur reliquos motus esse impropriè dictos, cum æq; sint actus entis in potentiâ quatenus in potentiâ.
73. Dantur corpora, quæ velocissimè mota nihilò tamen minus manent in unò eodemque locò.
74. Unum idemque corpus pluribus motibus, vel contrariis cieri potest.

B

75. Con-